



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxiv [i.e. xi]. Sensus externi omnes egent his speciebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

quod, siue ipsæ prius cognitæ *ut quod*, non repræsentant objectum, quidquid sit de eo, num ipsæ species certa ratione per lumen aliasque circumstantias modificatæ & in corpus opacum V.G. in speculum, vel per orbiculare vitrum in chartam applicatam ad foramen conclavis undique obscurati incidentes, colorentur colore quodam secundario & transeunte fiantque in se sensibiles & videantur *ut quod*.

XI. Videntur externi sensus omnes egere speciebus; etsi enim objecta secundum esse suum materiale magis crassum & improprietatum sint quandoque sensibus præsentia, conformius tamen videtur, ut sint iisdem præsentia secundum esse intentionale, magis subtile, viciniùsque accedens ad spirituale, quod esse objecti sunt species, siue ut sint sensorio præsentia præsentia intentionali, id est, tali, quæ ipsa sit unita cum sensu & cum eo coeffectiva speciei expressæ. Et hoc quidem juxta principiū D. Thom. & Peripateticorum commune: potentia cognoscitivæ constituuntur in actu primo proximo per elevationem à materia, id est, per receptionem formæ minùs materialis.

Multò verò magis sēsus internus eget speciebus; illi enim utpote interno, adeoque ab objecto externo distante, objectum aliter, quàm per speciem sui applicari nequit; frequentissimèq; imaginatur hic sensus sibi res præteritas, longè absentes, quod sine speciebus fieri nequit, item nihil sibi imaginari potest, cuius, aut cui similes non aliquandò per sensus hausit species. Non tamen objectum, sed ipsa sēlatio externa, seu potius species huius sensationis expressa producit has species phantasticas impressas, continuando eas per nervos sensorios in ipsum cerebrum usque, in quo & conservantur, excitataque dein servantur ad objecta præterita, etiam absque sensatione externa, percipiendum.

XII. Species hæ impressæ sunt divisibiles primò extensivè, ita ut una earum pars sit in hac parte aëris & oculi, alia in alia parte aëris & oculi; sunt enim materiales, & è subjecto materiali & divisibiliter extenso eductæ. Secundò intensivè, dum plures earum partes sibi & eidem subjecti parti uniantur (qualiter sibi non uniantur species objectorum, etiam solo numero distinctorum, sibi què simillimorum, penetrantes se in eadē subjecti parte,

cui